



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

De vasis sacris Cap. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

rantur in ipso sacrificio, atque ad
eo eorum tractatio reduci etiam
possit ad secundum hujus opusculi
librum, ubi, ut modo diximus, a-
gemus de iis, quæ ad Sacerdotem
pertinent, dum actu celebrat; ta-
men hic magis aptus, propriusque
locus esse videtur; prærequiruntur
enim ea, seu eorum electio, ante-
quam Missa celebretur.

C A P U T I.

De Vasis Sacris.

§. I.

De Calice, & Patena.

EX Rubricis Missalis, a Ca-
lix, & Patena debent esse
ex auro, vel argento, si non tota-
liter,

*a Rubr. 1. de prepar. Sacerdotis in
Missali reformato apud Hurz. dis. 4. de
sacrificio Missæ diff. 10.*

CAP. I. §. I.

liter, saltem, quoad cuppam. Possesse ex stanno, concedit ob paupertatem Canon & negatque posse esse ex ære, vel auricalco. Nam propterea tenent communiter Theologi ex alia inferiori materia non posse. Advertit tamen Delugo *b* Romæ adesse plerosque Calices totos ex ære, seu cupro, Italice, *Rame*. Hispanice, *Cebre*, mirumque esse eos Theologos qui sæpe in illis consecrarunt, id non advertisse.

2. Verum de novo vel ex dicto ære, vel ex prædicto stanno fieri cuppam, non concedo. Ratio est praxis, & consuetudo jam in re gravi nunc usurpata, & ab omnibus Ecclesiis ut gravis recepta, quæ simul cum prædicta rubrica Missalis videtur concessionem illam Canonis revocasse.

3. At potest necesse ex gemma pretiosa? Respondeo. Si sit æque

A 3

atque

a *Vt calix de consecr. dist. 1.*

b *Delugo de Euch. d. 20 sec. 4. n. 90.*

atque aurum, vel argentum pretiosa, non repugno Rubrica enim, Canonisque concedentes aureum, vel argenteum Calicem, concedunt implicite æque pretiosum, id est, gemmeum, modo tamen gemma sit ejusmodi, ut non sit periculum, quod effringatur, vel quod imbibat sacras vini species, ut ex Henriquez bene notavit Fagundez. ^a Concini traditio Ecclesiæ Valentiniæ, ubi magna veneratione ostenditur ^b pretiosus calix ex lapide Agatha, seu smeraldo, quo tradunt usum fuisse Christum Dominum in ultima cœna, licet non negem Bedam ^c affirmasse usum fuisse argenteo.

Illud etiam ex Granado ^d libens concedo, quamvis in Rubrica Missalis

^a Fagund. precept. Eccl 1. l. 3. c. 21. n. 13. ^b Gauant in Rubr Miss p 2. tom. 1. lit. F. ex Cathagena de Euch. hom. 26. Fagund num. 13. cit Galii ^c Beda c. 3. de locis sacris ^d Granad. tract. 14. de Euch d. 12. n. 39

salis reformari præscribatur, ut Cuppa Calicis, & superior Patenæ pars sit deaurata, id tamen non obligare graviter: sufficit enim ad vitandum mortale, quod sint ex auro, imo & ad vitandum veniale, quia ita usus obrinuit.

4 Atque ex hoc ultimo dicto conscientiam cujusdam Sacerdotis olim sedavi, qui incidit in Calicem & Patenam ex argento, & inaurato quidem, sed semicorroso auro, ita ut partim aurea, partim argentea apparerent: Dixi, potuisse ritè in illis celebrari, quia ad hujusmodi inaurationem, modo subit argentum, non adest, ut dictum est, saltem gravis obligatio

5 Di es. Si aurum majori ex parte defuisset, ex alia parte emergere scrupulus potuit, nempe quod amisset consecrationem. Respondeo neque hunc scrupulum esse injiciendum, dicam mox §. 3. n. 5.

§. II.

*De consecratione Calicis, &
Patena.*

1. **C**ALIX, & Patena, in quibus
licitè, ac ritè celebrari valet,
esse debent consecrata. *a*

2. Consecrantur autem vel de
jure ab Episcopo, vel ex privilegio
Romani Pontificis (qui rarissime
illud concedit (*b* ab alio inferiori.
Debet tamen esse diversum privi-
legium ab eo, de benedicendis ve-
stibus, de quo nos infra agemus,
nam in Patena, & Calice adhibe-
tur unctio sacri Chrismatis, quæ
non adhibetur in illis.

*Privilegium primum consecrandi
Calices.*

3 **A**T invenitur tale privi-
legium alicui ordini reli-
gioso,

a C. unico de sacra unctioe §. ult.

b Delugo de Euch. d. 30. sect. 4. n. 91.

municares id enim non datur, nisi
veris Abbatibus, & quidem ex vi
huius privilegii, benedictis, licet
ex vi aliorum, etiam non a benedi-
ctis.

*Privilegium alterum Consecrandi
Calices.*

5 SECUNDUM privilegium, quod
hac de re invenio, est illud
concessum Patribus Societatis Je-
su à b Paulo III. (non jam à Gre-
gorio XIII. ut habet per errorem
Portella) c per quod possunt præ-
dicti Patres in locis remotissimis,
purà In fidelium, vestes sacerdotales,
Pallas, Corporalia, Calices,
(intellige pariter, & Patenas) Al-
taria, cœmeteria (si Episcopus Ca-
tholicus, qui ea faciat, ibi non ad-
sit) benedicere, ac profanatas Ec-
clesias reconciliare.

6. Ubi

a Rodriq. in com. ref. 1. n. 3. b Paulus
III. c. licet dubium, c Portella in dubiis
reg. v. benedicere in addict. n. 3.

6. Ubi notat primo idem Portella, a hoc privilegio cum prædictis limitationibus, cum non restringatur ad Abbates, ut præcedens, posse uti communicantes in privilegiis, quales sunt Fratres minores, & idem diceret de aliis Mendicantibus, qui jam communicant, quod certe est probabile: licet b Fagundez id neget ex eo, quia hoc privilegium solis Sacerdotibus Societatis Jesu concessum fuisse contendat.

7. Notat secundo illud (*si Episcopus ibi Catholicus non adsit*) quoad Prælatos Mendicantium intelligi solum pro Consecratione Calicis (Adde & Patenæ, & altaris) nam Corporalia, aliaque ornamenta, in quibus non intervenit Chrisma, potest benedicere Prælati Mendicantium saltem ex alio privilegio, de quo infra suo loco, at Sacerdos non Prælati ex iisdem Mendicantibus

A 6

tibus

a Portell. *ibid.* b Fagund. *prac. Eccl.*
l. 3. c. 21. n. 1.

tibus solum poterit uti hoc privilegio cum prædictis limitationibus, tum quoad Calices consecrandos, tum ad alia ornamenta benedicenda, cum enim, qui non est Prælatus, non habeat ex se, seu sibi concessum aliud privilegium benedicendi Corporalia, habeat autem hoc præsens, sed modo dicto, limitatum, solo hoc in remotissimis partibus illis, uti poterit. Ceterum, an ex aliqua tandem concessione Sacerdotes non Prælati ex Mendicantibus possint nihilominus benedicere Corporalia, & similia, dicemus suo loco infra c. 3. § 2. n. 9.

§ non insuper tertio, neminem ex Societate hoc privilegio Calices consecrandi uti posse, etiam cum prædictis circumstantiis, nisi specialiter alicui ipsorum concessum sit à R. P. N. Generali, à quo privilegia omni Societatis dependent. *a* Confirmatur, quia ex una parte

a Ascanius Tambur. to. 1. de jure Abbat. d. 17. quesito 1. n. 40.

parte, in compendio nostrorum privilegiorum hoc exscriptum non invenitur, & ex alia, ipse P. N. Generalis præscribit in præfatione dicti compendii, ne quis utatur privilegiis quomodocumque Societati concessis, quæ in dicto compendio non sunt, nisi specialiter impetrentur ab ipso Generali.

*Privilegium tertium Consecrandi
Calices.*

9 **D**Enique idem Rodriguez a
ait Provinciales Indiarum
ex Minoribus (Adde tu: & aliis
cum eorum privilegiis communi-
cantibus) posse benedicere, hoc
est, consecrare calices, Episcopis
in provincia non existentibus, per
Bullam Leonis X. & Adriani VI.
eandemque facultatem posse com-
mittere, & communicare suis
Fratribus. Quod privilegium di-
versum sane est ab eo, quod modo
retuli-

a *Rodrig. in comp. ref. 13. n. 3.*

retulimus num. 5. sed cum fere in idem coincidat, nulla indiget explanatione.

§. III.

De pœna celebrantis in Calice non consecrato.

Pœccatum mortale committi à celebrante in calice, vel patena non consecratis, quia fit contra præceptum in re gravi, certum est. quare hic solum quærimus, an in jure incurratur aliqua pœna. Bonacina *a* sic habet: *Contra eum, qui utitur calice ligneo, aut calice non consecrato constituta est pœna depositionis ab officio, & beneficio, c. ultimo de celebratione Missarum.* Hæc Bonacina: quod fortasse sumpsit à Suario, *b* qui sic ait: *Et ideo in c. ultimo de celebratione Missarum deponitur Sacerdos*

a Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. p. 9. n. 17

b Suar. de Sacr. d. 81. sec. 7. §. *Alia autem forma.*

CAP. I. §. III.

cerdos, qui sine sacro calice consecraverit.

2. Sed amabo te, ad eam prædictum cap. ultimum, & videamus quid Episcopo Brixienti scribat in illo Honorius Tertius. *Litteras tuas (inquit) recepimus continentibus, quod cum super excessibus presbyteri Ecclesie S. Brigidæ inquireretur, confessus est, quod, cum quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo, Missarum sollemnia celebrare presumpsit, & infra. Intellecto iterum quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter ladebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessione invenisti, quod idem, sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia de sapientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum prives. Hæc Honorius.*

3. Ubi vides, Primo, hanc non esse pœnam universalem, sed illi peculiari præbytero inflictam. Secundo,

cundo,

cundo, esto ejusmodi pœnam velis extendere ad omnes: certè ad omnes similiter delinquentes: At, si bene notas, ut notavit ibidem Glossa, Sacerdos ille quatuor peccata commisit. Primo, celebravit in pane fermentato, quod non licet in Ecclesia Occidentali Secundo, in scypho ligneo. Tertio, sine igne, hoc est, sine candelis accensis. Quarto, sine aqua, quæ vino consecrando commiscenda erat; & contra hos omnes excessus, illa pœna privationis officii, & beneficii fulminatur à Pontifice. Quomodo ergo ad celebrantem, in calice non consecrato cautum, extendere velis? Tertio, licet, qui in scypho ligneo celebravit, supponatur in vase non consecrato celebrasse, & licet item supponamus, in hoc, Sacerdotem illum dumtaxat, & non in aliis deliquisse, certè quis non videt minus esse in calice aureo, vel argenteo non consecrato celebrare, de quo casu

nos loquimur, quam celebrare in ligneo scypho non consecrato? cum igitur paria peccata non sint, cur pari pœna puniantur?

4. Stet igitur non esse ullam pœnam inflictam contra celebrantes in calice, patenaque non consecratis.

§. IV.

An Calix adde & vestes, aliaque similia remaneant consecrata, seu benedicta, si in illis non sacris forte quis sacrificet.

Calix, & Patena.

¶ **Q**uamvis a probabilius fit hæc non remanere tunc consecrata, quia aliud est calicem sacrari, veluti ex naturali quadam consequentia, id quod fit per contractum sanctissimi sanguinis! aliud est, calicem deputari ad sacrificium,

a Navar. Azor. Laym. Fagund. quos citat, & sequitur Delugo de Euch. d. 20. sect. 4. n. 9. & 92

eium, quod fit per benedictionem factam ab habente potestatem, quodque Sacri Canones semper requirere videntur; Tamen, est etiam probabile a remanere consecrata. Ratio est, quia æquivalenter, immo eminenter talis deputatio habetur per illum sacratissimum contractum. Favetque S Augustinus b dum ait. *Sed & nos pleraque instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus in usum celebrandum Sacramentorum, quæ, ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.*

2 Idque puto, tum si bona fide, tum si mala c quis in calice, & patena non consecratis celebret. Ratio est quia quoad nostram rem, eadem est paritas, semper enim adest prædictus contactus. Scio aliquos a-

gentes
a *Coninch de Bapt. q. 66. art. 2. dub. unico n. 15. fine. Niger Trimarc. de Peyrinis Coelestin apud Dian p. 5. tr. 15. ref 60. b S August. allatus à Suaria de Euch. d. 81. sect 7. §. Dico 2. circa med. c Sa V. Ecclesia n. 19.*

gentes a de sacrificio in Ecclesia violata peracto, ponere discrimen inter peractum mala, & peractum bona fide, sed profectò difficulter, quoad id, de quo loquimur, aptum discrimen invenire poterunt.

Corporale, Pixis, &c.

3 **D**ico de Corporali, de pixide, de custodia, seu sphaera immediate tangentibus sacras specie esse probabile, quod acquirant sufficientem consecrationem, seu benedictionem, eo ipso, quod in illis sacra ministeria exhibentur. Ratio est quia jam continguntur, suo modo, a Sanctissimo Christi corpore, unde omnis benedictio promanar.

*Vestes Sacerdotales, alicaque
ornamenta.*

6 **D**E vestibus Sacerdotum, & Altaris ornamentis dico non

a Delugo d. de Euch. 20. sec. 2. n. 62.

Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 13

non statim ac, in ipsis, celebrat Sacerdos, benedici. Ratio est : quia non habemus contactum Christi Domini, sicuti in prædictis. Sed quia, tum in vestibus, tum in ornamentis non requiritur tanta consecratio, non est improbable a sufficere eam, quæ ex ipso sacro ministerio in illa redundat.

Ecclesia violata.

5. **D**E Ecclesia violata idem dico esse nimirum probabilius ex sacrificio ibidem peracto Ecclesiam violatam non reconciliari. Ratio est, quia non adest sacer ille contractus; reconciliari, tamen, dico esse etiam probabile, idque propter parem rationem modo dictam de vestibus Sacerdotis non indigentibus tanta consecratione; cum enim purgare materiam jam semel consecratam opus facile

a Diana p. 2. art. 14. res. 96. GAVANT.
in Rubr Miss p. 4. tit. 191. n. 21.

facile fit, poterit haberi ex ipso ministerio, in ipsa Ecclesia violata, peracto. Adde & auctoritatem extrinsecam multorum Doctorum a id asserentium.

6. Objicit Delugo *b* contra hos Doctores. Si sacrificii dignitas Ecclesiam pollutam reconciliat, sequitur Ecclesiam reconciliari, etiam in sequentibus casibus. Primo, quando mala fide celebratur. Secundo, quando ibidem celebratur in necessitate ex dispensatione Episcopi. Tertio, quando Sacerdos inchoato jam Canone, postea polluta Ecclesia, proseguiturque ad finem, sic enim facere debet (nam si non inceperit Canonem, relinquere obligatur Missam, & discedere ab altari) in his, inquam casibus reconciliata, remaneret Ecclesia, quia semper eadem

a Diana ib. citans Castrum Avilamque item Salv. Eccl. n. 19. & Henr. qu. l. 9. de Missa c. 27. nu. 6. b Delugio de Euch. d. 20. n. 62.

eadem est Sacrificii dignitas. Aliã quarta objectio solvetur n. 9

7. Hæc diluere pertinet ad prædictos Doctores, quia tamen ego probabilem dixi eorum sententiam, onus etiam subii respondendi.

Ad primam ergo sequelam, libens illam concedo propter rationem dictam num. 2.

Ad secundam quid si etiam illam concedamus? nisi tamen Episcopus limitet pro illa sola vice, tunc enim non ex vi violationis, sed ex vi talis prohibitionis non poterit extra illam necessitatem ibidem celebrari. Quare qui celebraret, non incurreret in pœnas forte in illa Diœcesi latis contra celebrantes in Ecclesia violata, sed contra celebrantes in loco interdicto ab Episcopo.

Ad tertiam dicerem, per illam Missam inchoatam ante pollutionem, sed continuatam postea, non reconciliari Ecclesiam, quia Ca-

nones

nonnes per quandam fictionem in reverentiam sacrificii incepti, disposuerunt missam inchoatam ante violationem inceptoque Canone, esse, ac si tota absoluta fuisset, & veluti pertinere ad totum tempus ante dictam violationem: Unde cum moraliter non judicetur esse postea, non poterit à Doctoribus dici, quod per illam, Ecclesiæ violatio collatur. Neque enim in rebus positivis est spectanda prioritas, vel posterioritas physica, sed sufficit plerumque moralis, seu canonica, ita sacris Canonibus disponentibus. Certe sic dies vespertina hesternæ moraliter reputatur à Jure hodierna, in ordine ad recitandum matutinum hujus diei, non vero in ordine ad non laborandum die festivo. Sic etiam Missa ante mediam noctem Natalis Domini, quæ coram Summo Pontifice celebrari solet, judicatur ex quadam fictione, seu dispositione Pontificis facto ipso sic volentis, esse post
mediam

mediam noctem, seu pertinere ad diem sequentem, nam propterea, qui illi interfuerit, satisfaciet a præcepto audiendi Missam in die Natalis. Simili igitur modo Missa inchoata ante violationem, & absoluta post, disponitur à jure ac si esset absoluta antea, & ideo eandem violationem tollere nequaquam potest.

*Ecclesia & Altare non consecrata,
seu non benedicta.*

8 JAM vero de Ecclesia non consecrata, siue non benedicta, & Altari item non consecrato, si quis fortè in his celebret. Dico certum esse mihi, & aliis non remanere, nec consecrata, nec benedicta, nec deputata ad sacrificium Mihi, quia non continguntur à Sacratissimo Christi corpore, & sanguine. Aliis, tum propter eandem rationem,

rum
a Delugo de Euch. disp. 15. sect. 2.
num. 57

tum ex absurdo, quia si ipso sacro ministerio statim talia fierent, omnia Oratoria, & Altaria, etiam in Castris militum, etiam sub dio, essent consecrata, vel deputata ad sacrificium, postquam in eis, ex quacumque causa, celebratum fuerit, quod ut clarum conveniens, à nemine admittitur.

9. Quod si his obiciatur: cur Ecclesia violata ex probabili sententia modo dicta num. 5. reconciliatur, si ibi sacrificium peragatur, non autem consecratur, seu benedicitur, si in illa non consecrata celebretur, respondere possent, quia, ut ibidem dictum est, plus requiritur ad inducendam consecrationem, seu benedictionem in materiam profanam, quam ad purgandam materiam jam semel consecratam, seu benedictam.

Quando Calix, & Patena amittant consecrationem?

1. **A** Mittitur & consecratio per fractionem, vel per talem diminutionem, quæ illa inutilia reddat, seu inepta ad usum sacrificii. Quare de quodam Calice, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppæ, quod tamen promiserat aurifex ita artificiosè concinnare, ut vix præteritus defectus apparere posset, idque sine ullius immutatione, dixi eum consecrationem amisisse; quia, propter illud foramen, unde sanctissimæ species exundabant, aptum nequaquam remanserit ad sacrificium.

2. Hinc inferunt Doctores, *b* si in Calice non tornatili, separatur, per fractionem, cuppa à pede, cum

fic

a Delugo d. 20. de Euch. 4. num. 93.

b Idem ib. & passim.

sic fiat Calix ineptus ad sacrificium, perdit consecrationem: non perdit autem in tornatili; quia, licet si partes separentur, non sit aptus ad sacrificium, cum consecratio fuerit in utraque parte per modum unius exhibita, tamen cum rursus partes conjunguntur, est aptus: & ex alia parte est idem moraliter Calix, qui erat prius, quare erit sicuti prius consecratus: hæc enim arte facta, ut v. g. horologium, si dissolvantur ejus partes, & iterum uniantur, eadem sunt, ac erant antea; non sic si frangantur, & iterum artificis ministerio compaginentur.

3 Quid si Calix (idem de Patena) argenteus in interiore cuppa inauratus perdat sensim omnem inaurationem? Dico, non amittere & consecrationem sicut etiam nec amitteret, si non esset inauratus, & attritione paulatim nova superficies appareret Ratio utrius-

B 2

que

2 Hurcad. de Sacrif. d. 4 diff. 10.

quæ est, quia semper remanet idem Calix.

4 Dixi (*Argenteus*) nam si forte sit de antiquioribus (quales adhuc persistunt Romæ) ex stanno, vel ære inauratis, aurumque totum, vel ex majori parte abrasum esset; propter aliud caput amovendus esset à sacrificio, nempe, quia non esset ex apta materia, ut supra vidimus Dices. At tunc erat apta materia, & ex alia parte nunc, quamvis, ablato auro, idem Calix perseverat, & consequenter per nos perseverat consecratio, ergo cur erit amovendus? Respondeo. urget hæc ratio, nam propterea illud prius, quod nos diximus, esset consulendum, hoc posterius, quod tu urges, non condemnandum.

5. Iam, Calix ejusmodi, ex cujus concavo abrasum est paulatim totum aurum, si de novo ab Artifice inauratur, amittitne consecrationem, ita ut nova consecratione indigeat?

Plures

Plures *a* amittere putant. Ratio præcipua est, quia ponitur nova superficies auri, quam superficiem mox tacturus est Sanctissimus sanguis, quæ cum tota nova sit, consecrata non est. Neque dicas superficiem esse accessoriam, & minus principalem, atque adeo debere sequi partem principalem, quæ est totus Calix, qui est ex dictis nu. 3. consecratus, ne id dicas (inquiunt) nam superficies, quamvis, quoad quantitatem sit minor pars, tamen quia ipsa tangit immediate sacras species, pars magis principalis dicenda est.

6 Alii *b* probabilius putant remanere consecratum. Ratio præcipua est, quia idem Calix, sicuti eadem est Ecclesia consecrata,

B 3 si de

a Palud Armil Ang. Tabien. Azor. Suar Vasq. Re. Bonacin apud Hurtad. de Sacrif. art 4. diff 10 & Dian. 1 p. tr. 15. res. 3. *b* Deluro de Euch. d 10. sec. 4. n. 95. Dian. p. 2. tr 15 res. 3. Laym. Co-
minch ab eodem citati.

à de novo dealbetur, neque enim oportet eam iterum consecrare. Nec inauratio, ut dicunt prædicti, est pars principalis, est enim accessoria, sicuti quando pars medica Corporalis reficitur, etiam si refectio cadat in partem, quæ occupetur ab integra particula, non erit, nisi pars minus principalis, & accessoria.

7 Dices cum Suario, si una cuppa subtilissima auri poneretur intra cuppam talis Calicis, indigeret consecratione; sed ita se habet illa superficies auri novi; ergo &c. Respondeo, negando minorem, quia, in nostro casu, est unum & idem vas; in casu Suarii, est duplex

8 Dices iterum. At, ad novam ejusmodi inaurationem, igne opus est, atque adeo Calix videtur mutari, & non remanere idem. Respondeo, certum est, si Calix aliquo tandem modo efficeretur alius, vel frangeretur, nos non esse in casu proposito; at si us aurum superad-

datus

darur, Calix solum excanduerit, non erit mutatus, ac propterea, cum diminutionem non passus fuerit, nequaquam alius effectus est. Neque enim si ferrum v. g. igne ad fornacem excandescat, diversum fit ab eo, quod erat.

Instas, dum est ita ignitus Calix, fit ineptus ad sacrificium, ergo jam amittit consecrationem. Respondeo etiam quando Calix immundus smigmate, seu sapone, ut abstergatur, obvolvitur, est ineptus ad sacrificium, & tamen non amittit consecrationem, neganda est igitur consequentia, quia non fit ineptus veluti quoad substantiam, sed solum quoad circumstantiam accidentalem, quæ facile, & sine vasis mutatione tollatur.

9 Illa per hanc occasionem est a aliquorum sententia corrigenda, non enim est verum, quod aliqui,

B 4

uni-

a Azor aliique quos citat, Et seq. Tambur. de iur. Abbat. tom. 1. d. 23. q. 3. n. 6

universaliter, affirmant; per ictum mallei calicem, vel Patenam amittere consecrationem. Sane si per ictum frangatur, vel ineptus quoad substantiam pro sacrificio fiat, amittere non est dubium: At si ineptus non fiat, & cur dici possit amittere? amitteret etiam, si in terram, super lapidem Calix sine ulla prorsus mutatione concideret quod nemo dixit. Immo licet aliquantum tunc contorqueretur, ita ut mallei vi, cum dexteritate concinnari possit, non amitteret; quia semper remanet idem consecratus Calix, ut ex dictis patet.

S. VI.

*De aliis Vasis in Sacro Ministerio
adhiberi solitis.*

Pixis, seu ciborum, sphaera
seu lunula, & quodcunque
aliud

a Bonac. d. *Enchar. d. art qu. ult.*
p. 9. n. 19

aliud vas, & in quo servatur immediate Sacratissima Eucharistia, ut item fistula aurea, per quam Sanctissimum sanguinem, in Missa sollempni, Summus Pontifex attrahit, consecratione non indigent, nec benedictione. Quia tamen, in Rituali Romano ponitur propria Pixidis benedictio, benedicenda erit ex congruitate, quam doctrinam extendit Layman, *b* ad vasculum, ubi servatur Sacrum Chrisma.

2. Neque dicas: Calix est consecrandus ergo & Pixis: Ne id dicas, inquam, quia, in requisitis à jure, non est aptum argumentum à paritate. Adde & adesse congruentiam disparitatis; si quidem, in Calice, per se & semper, fit Sanctissimi Sanguinis consecratio, per quam, primo, fit præsens Christus

Domi-

a *Suar. de sacr. d. 81. sect. 7. § 3 obiter*
De lug. de Euch. d. 20 sect. 4. n. 96. Huré
de Sacrif. d. 4. diff. 10. aliq.

b *Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 22.*

Dominus; in Pixide vero, ut etiam supra Corporale, non nisi per accidens; si quando, adsunt multæ particulae consecrandæ, per se enim Sacratissimum Corpus, in manibus Sacerdotum, consecratur.

3. Nec aitem, in jure, determinata est materia, qua conflanda sint Pixis, sphaera, & prædicta similia; consulendum tamen, fieri ex auro, vel argento: Quare si ex meliore materia fierent, ut ex solida gemma pretiosa, facilius acquiescerem, quam acquievi supra, *b* in Calice, quia hic non est illud periculum imbibendi sanguinem.

4. Si propter paupertatem Pixis, vel Sphaera fieret ex alia materia inferiore v. g. ex stanno vel ære, non fore mortale docet Suarez: multo ergo minus, si ex ære inaurato.

5. Not

a Suar. dict. d. sect. 7. Hurt. d. diff. 10. Marchin de cred. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 6.

b Supr. c. 1. §. 1. n. 3. c. Suar. ib. §. 3. *b* iter sub finem.

5. Nota autem hic tria: Primo, hæc Vasa posse & ab eo benedici, qui habet auctoritatem benedicendi omnia ornamenta, præter ea, in quibus adhibetur sacra unctio: in his enim jam illa non adhibetur.

Secundo, intra dictam Pixidem non esse necesse ponere aliud vas lineum benedictum benedictione Corporalium, ut putavit Vasquez ductus ex consuetudine cujusdam Ecclesiæ; quia id, nec in Jure fundatur, & obstat communissima aliarum Ecclesiarum consuetudo. Tertio (ut id obiter dicam) non valere illam paritatem: Calix, immo eadem Pixis plena particulis, quando fit consecratio, debet esse super aram lapideam, ut infra, c suo loco dicitur, ergo Pixis quando servatur cum Eucharistia in Tabernaculo, debet item servari super aram, non, inquam, valere, siqui-

a De lug. De Euch. 20. sect. 4. n. 69.

b Ibid. c Infra c. 5. §. 1. n. 4.

liquidem satis est, si seruetur super
Corporale, ut contra Vasquez,
docet ipsa praxis, & suadet con-
gruentia, quia nimirum in Pixide
tunc non fit consecratio, sed quod
consecratum est, custoditur.

6 Cetera vasa, nempe Taber-
naculum, seu Custodia, intra quam
obserata Pixis custoditur; Phiala
seu Ampullæ, ubi seruatur vinum
& aqua, Pelvis & Vas, quibus ma-
nus Sacerdotis in Missa abluuntur
& similia, utpote aliquantulo re-
motiora à sacro ministerio, bene-
dictione multo minus *b* egent.
Munda tamen sint, quantum fieri
potest, ob reverentiam Sacramenti
debitam.

CA

a Vasquez citatus & non approba-
tus à Delugo d. 20. de Euchar. sec. 4.
n. 97.

b Ex Suario dicta d. 31. de sacr. scilicet
7. §. ult.